


1177

1994
A
1386







COLLEGII PVBLICI,
DISPVTATIO VICESIMA QVARTA,

De

COMMODATI,
PIGNORATITIA,
EXERCITORIA, ALIORVMQVE
CONTRACTVVM ACTIONIBVS.

QVAM

DEO ADIVVANTE,

PRÆSIDIBVS

Clarissimis & Consultissimis Viris, ac DD.

Dn. PETRO OSTERMANNO, I. V. Doctore, &
Dn. ARNOLDO MAESS, SS. LL. Licentiato,
respectiuè Dictatore & Fisco.

*In Celebrissimo iur. di. a apud Vbios Facultatis Collegio
publice discutie dam proponit*

FRIDERICVS Stocckhausen / Westphalus,
Anno 1629. die 9. Augusti.

24



COLONIE AGRIPPINÆ,

Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT



CONTINUATIO ORDINIS.

Postquam haecenus tractatum, quomodo genus creditum, resque translato Dominio ex mutuo & quasi mutuo proficiscentes, per certi, aliasque conditiones repetantur: consequens erit, ut de speciebus, quarum usus tantum, non amisso dominio, creditus est, (inter quas prima occurrit actio commodati vel contra) aliquid dicamus *Duar. ren. cap. 1. in disp. h. t. Vvesenb. in parat. in princ. ff. h. t.*

CONCLUSIO PRIMA.

Commodatum inde desumptum, quasi ad commodum & utilitatem utentis datum, *Gloss. in cap. vn. extr. comm. Azo in summa. C. h. t. Dissentit Vvesenb. π. n. 2.* Asserendo inde suam originem sumpsisse, quasi cum modo & certa forma utendi datum.

2. Hoc datur vel ad certum & determinatum usum, quod est verè proprieque sumptum commodatum *l. 17. §. 3. l. 21. l. 5. §. 8. ff. h. t. l. 2. C. eod. Treut. th. 1. hic.* vel ad incertum ac indefinitum, quam diu scilicet is qui concessit, patitur, quod & quasi commodatum dici potest, vocaturque precarium *l. 1. vbi Gloss. & Bart. ff. de precario. Vigli. & Zas. in l. 2. ff. de reb. cred. Decius in l. 23. ff. de R. I.*

3. Verè igitur proprieque in hunc modum defini potest, quod sit alicuius rei ad certum & specialem usum gratuita facta concessio, ut eadem species & non alia eiusdem generis reddatur. *Azo in summa. C. h. t. Duar. in c. 1. h. t. Treut. th. 1. in prin. hic. Schneid. Myns. in §. 2. inst. quib. mod. re contr. obl.*

4. Et quidem gratuitum ob differentiam & distinctionem aliorum contractuum; nam si merces pro usu rei commodatae daretur, non commodatum, sed locatio vel alius contractus innominatus, facio ut des, esset *l. 5. §. 12. h. t. §. ff. 2. inst. quib. mod. re contr. oblig.*

5. Ad certum quoque usum, ob differentiam precarij, quod quasi commodatum etiam appellari posset, ut dictum conclus. 2. nam si quis transgreditur, remque commodatam in alium usum, ad quem minimè concessa conuertat, furti tenetur, furti autem quando teneatur, qui ad alium usum re commodata usus fuerit. videl. *ult. ff. de condict. furt. l. 53. §. 1. ff. de furt. Menoch. de arbi. iud. lib. 2. casu. 298.*

6. De essentia quoque commodati est, ut dominium & proprietas non transeat in commodatarium, sed tam ipsum dominium, quam proprietas rei commodatę penes commodantem maneat, sic etiam in hoc differt à mutuo, nam qui mutuum concedit, sic dat, ut dominium transferat in accipientem, quod in commodato secus, quia qui commodat rem, eo modo commodat, ut non faciat rem accipientis, sed ut uti ei re commodata, tum de nudo eandem recepturus permittat. *Duaren. C. 1. h. tit. Azo. in summa C. h. tit. Treutl. hic.*

7. Consistit commodatum in rebus mobilibus & immobilibus *l. 1. §. 1. ff. h. t.* Præterea etiam in incorporalibus, puta seruitute habitandi *l. 1. §. 1. ff. h. t.* at quæ actio eo nomine competet? commodati scilicet & non præscriptis verbis. *Gothofr. in l. 1. §. 2. ff. h. t.* nam præscriptis verbis actio tum datur, cum alia defuerit *l. 1. ff. de præscript. verb.* item in rebus alienis *l. 15. & 16. ff. h. t. VVes. paratit. n. 4. ff. h. t. Treutl. th. 1. hic lit. D.*

8. Præterea quia res eadem ipsa reddenda, ideò res illæ, quarum usus non est propriè, nisi in consumptione, in commodatum minimè veniunt, nisi quis fortè ad pompam vel ostentationem, ut pecuniam dicis gratia quam simulatè ac sine vlla voluntate abutendi accipit *Cuiac. 10. obs. 77. Hostiens. in summ. ext. hic Azo. in summ. C. h. t. Duar. C. 2. h. t. Schneid. in d. §. 2. inst. n. xi. & passim. Dd.*

9. Ex quo deinde actio commodati bonæ fidei, iuris gentium origine, Prætoriamque approbatione nascitur his verbis: quod quis commodasse dicitur. de eo iudicium dabo *l. 1. ff. h. t. & tam directa quam contraria. §. actionum 28. inst. de action. l. 2. C. h. t. l. 1. ff. h. t. & ibi Gothofr. & Salic.*

10. Commodati directa datur commodanti, siue rem suam siue alienam habuerit, si videlicet fur vel prædo commodauerit, primo quidem aduersus commodatarium *VVesemb. parat. h. t. n. 10.* secundo contra eius heredem pro ea parte qua hæres est, nisi ex facto ipsius agatur, quo casu & ipse tenetur in solidum *l. 3. §. 3. l. 17. §. 2. ff. h. t. Treutl. thes. 2. hic.* Tertio in dominum & patrem, peculiotenus *Schneid. in §. 28. inst. de act.* Quarto in Filium familias *Schneid. in d. §. 28.* Quinto contra Pupillum si factus fuerit locupletior, non directa sed utilis commodati actio competet. *l. 3. ff. h. t.* Sexto contra eum qui commodato aliter vititur quam inter eos conuentum, *l. 5. §. 8. ff. h. t.* qui & furti quandoque tenetur, secundum limitationem tamen *l. 76. ff. de fur. l. 16. ff. de cond. fur. Duar. c. 4. h. t.* Septimo & ultimo aduersus plures qui simul acceperunt in solidum *l. 5. §. ult. ff. h. t. Treutl. hic th. 2. lit. 1.*

11. Finito usu ac tempore praescripto elapso, res integra restituenda: si enim deterior reddatur non consimilis, sed aestimatio praestanda *l. 3. §. si reddita 1. ff. h. t.* Quod autem dicitur si reddita fuerit deterior res commodata, eo nomine dari actionem aduersus commodatarium, id eo modo intelligendum, si videlicet sua culpa deterior reddita fuerit; nam difficile est ut equus commodatus in longinquo itinere non reddatur deterior, ideoque si id accidat, non tenebitur *Duaren. cap. 4. h. t.* nec solum petitur res, sed & omnia accessoria, quicquid ex re fructus quocumque tempore utilitatisve obuenit, *Vvesenb. parat. h. t. num. 20. Schneid. in. d. §. 28. inst. de act.* neque enim rem Quæstui commodatario esse oportet, quia eius periculo non est *l. si is qui §. 1. ff. h. t. Vvesen. paratit. h. t.* concurrat cum hac actione Legis Aquiliae actio ob rem deterioratam *l. 17. ff. h. t. l. 7. §. 1. ff. eod. vide Gothofr. in not. ad dict. l. 17. Treutl. th. 2. hic.*

12. Quanti verò hæc res sit, in hac actione sicut in cæteris bonæ fidei iudicijs tempus rei iudicatæ obseruatur, & in litem iuratur, quamuis in stricti, litis contestatæ tempus spectetur, *l. 3. §. 3. vbi Bart. Bald. Satic. Castr. hic. Hotom. illust. quest. 16. Treutl. th. 2. hic.* Dissentit *Donell. ad l. 3. ff. de condition. tritic.*

13. Contraria è diuerso commodati actio ipsi commodatario aduersus commodantem competit, ad recuperandos sumptus in rem commodatam factos, quod tamen procedit, si expensæ sint magnæ, (extra tamen cibaria & modica impendia) quæ naturaliter ad eum pertinent, qui utendum accepit, *l. 1. §. possunt ff. h. t.* qui etiam pro maioribus expensis rem commodatam tam diu detinere potest, donec sibi de expensis satisfiat, non tamen pro alio debito *l. 18. §. fin. ff. h. t. & l. fin. ibidem. gloss. C. eod.* præterea datur hæc actio aduersus commodantem, ante expletum præscriptumque usum rem commodatam reuocantem, ut scilicet patiatur commodatarium uti in eum usum, tam diu quam diu concessit & commodauit, sicut enim ab initio ei liberum fuit commodare. ita postquam commodauit retrò agere, & intempestiuè usum ei auferre non licet: contractus enim ab initio voluntatis ex post facto necessitatis. passim omnes *Dd. l. 17. §. 5. ff. h. t. Vvesenb. paratit. h. t. Duar. C. s. disp. h. t.* Item si vitio rei, quod vitium celarit sciens commodans, damnum fecerit. *d. l. 18. §. qui sciens. ff. h. t. l. pen. C. eod.* Denique aut vltimò, commodanti res commodata erit reddenda, vel eius aestimatio accepta, veluti si rem commodatam perdidit & pro ea pretium dedit, deinde res in tuam potestatem redijt, contrario commodati iudicio teneris, aut rem mihi præstare, aut quod accepisti, reddere *l. 17. §. fin. ff. h. t. Bart. in l. 18. §. possunt. ff. h. t. & omnes passim Dd.*

14. Quod autem contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, qui conuenitur, poterit habere saluum, iure compensationis *l. 18. §. quod autem. ff. h. t.* Nam cui damus actionem ei multò magis competere exceptionem dicendum est. *l. 1. ff. de supers. Vves. parat. ff. h. t.*

15. Sequitur nunc precarium, quod precibus utendum petenti concedi-

tur, tam diu is qui concessit patitur *l. 1. ff. de precario*. quod genus liberalitatis ex iure gentium sicut & cæteri contractus descendit. *l. 5. ff. de iust. & iur. Treutl. thes. 5. hic Decius in l. 23. num. 11. & l. 14. n. 4. ff. de R. I. VVesenb. parat. ff. h. t.*

16. Distat autem à donatione, nam hæc eo animo eaque mente datur, ut accipientis fiat, rei que donatæ dominium transferatur, & semel traditione perfecta repeti reuocari que nequit *Ias. in l. cum mota. n. 15. C. de transf.* at qui rem precario concedit, sic dat, ut non faciat accipientis, sed tantum ei uti re precario concessa permittat *l. 1. §. 3. ff. h. t.* in quo etiam affinitatem aliquam cum commodato habere videtur *d. l. 1. §. 3. ff. h. t. Gothofr. in not. ad l. 1. §. 8. & l. 15. ff. hoc tit.*

17. Constituitur liberalitate & voluntate concedentis, inter præsentis & absentes, per epistolam vel nuncium *l. 9. ff. h. t. in rebus corporalibus & incorporalibus, l. 2. §. fin. ff. h. t.* item in pignore & seruitute, *l. 6. §. fin. l. 3. ff. h. t.* forma tamen in eo verti videtur, ut detur ad usum indefinitum, & ad nutum concedentis, quotiescunque libitum ac placitum fuerit, imò statim & in tempestiuè restituendum, adeo ut non valeat pactum in contrarium at si post concessionem id placuerit tunc recessum erit à precario, & commodatum contractum videbitur *Bart. in l. 2. ff. de reb. cred.* in quo tamen quidam dissentiant affirmantes non nisi hoc cum interuallo fieri posse *Panorm. in l. fin. ff. h. t. Couar. 1. lib. 3. variar resolut.*

18. Datur imprimis aduersus eum qui precario habet, id est detinet, *VVes. parat. h. t.* Secundo aduersus Dominum habentem ex precario serui vel procuratoris *l. 13. l. 6. §. 1. ff. h. t.* Tertio aduersus eum qui dolo fecit ut habere desineret. *l. 8. §. 3. ff. h. t.* Quarto denique aduersus heredem, siue dolo fecit quominus haberet vel ad se perueniret, tenetur, quia est rei persecutoria actio *l. 2. C. h. t.* in id ut res restituatur, aut si restitui nequit, fiat condemnatio in tantum quanti Actoris interest, rem restitui, cum omni causa post interdictum editum, id est ut hodie interpretamur. post litem contestatam, *VVesen. parat. h. t.* daturque hoc nomine actio præscriptis verbis, nam nulla eo nomine actio ciuilis constituta est, *Gothofr. in not. ad l. 14. ff. h. t.* ex dolo autem defuncti hætenus quatenus ad eum peruenit, nam ipsi duntaxat & non hæredi concessio facta videtur, *Goth. in not. ad l. 12. §. fin. ff. h. t.*

19. Nunc videndum quid in commodato, precario, & cæteris contractibus, utrum dolus an culpa, an vero & omne periculum præstandum veniat? *l. 5. §. num. videndum. commod. ff.* dolus autem malus est quælibet machinatio & fraus alterius decipiendi causa, adhibita, *VVesen. paratit ff. de dolo.* culpa autem, diligentia debitæ permessa & per imprudentiam facta læsio, quæ tam in faciendo quam negligendo consistit. *Cuiac. ad l. 91. ff. de verb. obl.*

20. Cuius veteres interpretes quinque constituerunt partes, *Bart. in l. 25. ff. de pos.* rectius tamen, pro huius materia ratione, tres duntaxat gradus ponendos esse statuimus ut sit lata, leuis, & leuissima, Dissent. *Zas.* qui duos tan-

tantum gradus ponit, scilicet latam & leuem culpam. *lib. 1. resp. sing. cap. 2.*
Olden leuem & leuiorem tantum admittit *in prafat. class.*

21. Lata culpa est, nimia, dissoluta ac manifesta negligentia, quæ duobus indicijs deprehenditur, primò si quis non ad eum modum, quem omnes homines, alterò si quis non eodem modo in re aliena quam in suis rebus versetur. *Schneidvv. in §. suspectus. inst. de susp. tut.* Sic dolo & fraudi aliquo modo proxima, & ipsum ferè dolum repræsentat, quandoque etiam sub ex effu iuris theorico dolo appellatur, quam *Z. s. in culpam versutia & ignavia diuidit, l. 1. fin. res. cap. 2.* Leuis autem quoties non eandem in alienis rebus, quam in suis diligentiam, hoc est, qualem paterfamilias neque socors neque diligentissimus, sed attentus & diligens præstat, *Duaren. cap. 8. disp. h. t.* Leuissima culpa est, cum quis mediocrem diligentiam adhibet in re custodienda, sed culpam tamen admittit quam vir exactissimæ diligentia vitare potuisset, *Duaren. in d. cap. 8.*

22. In contractibus igitur qui gratia dantis celebrantur tantum, venit dolo & lata culpa, vt in deposito, quia nulla versatur eius utilitas apud quem deponitur. *Duaren. cap. 8. h. t.* Mandatum verò, etsi negotia & utilitatem solius mandatoris respiciat, omnem tamen culpam recipit. *l. 13. C. mand. ib d. Bulg. Accurs. & Castr.*

23. Qui autem vtriusque, tam dantis quam accipientis gratia celebrantur, præter dolum & latam culpam, etiam recipiunt leuem, vt scilicet in societate & dote, *§. vlt. inst. de societ. l. 17 ff. de iur. dot.* denique in locato *§. fin. inst. de locat* vbi tamen secundum subiectam materiam (diligentissimus pro diligens) legendum. *Vvesen. in d. §. vlt. & similibus.* Qui autem accipientis gratia, dolum latam leuem & leuissimam recipiunt culpam, vt commodatum. *l. 5. §. 2. ff. h. t.* in quo vsque adeo diligentia præstanda est, vt etiam in ea quæ sequitur rem commodatam vel ei adgnata est, præstari debeat. *l. 5. §. vsque adeo. ff. commod.*

24. Interdum planè dolo solus præstandus in re commodata. vt putà si quis ita conuenit, vel si sua tantum causa commodauit, vt Sponsæ forsan suæ ornamenta, quo honestius culta ad se deduceretur. *l. si vt certò §. 10. ff. h. t.* at si vtriusque, veluti si communem amicum ad cœnam inuitauerimus, & ego tibi ad hoc argentum accommodauerim, dolo & lata culpa præstanda est. *l. 18. ff. h. t.*

25. Excipitur hic precarium, quod licet accipientis tantum gratia detur attamen de dolo lataque culpa dolo proxima solum tenetur, quia cum iuris ciuilis regulis hic contractus non sit alligatus, benignius cum eo agendum Prætor putauit, cum is qui dedit benignè facere voluit *Vvesen. parat. h. t.*

26. De casu fortuito regulariter nemo tenetur nisi in tribus casibus, veluti si expressè conuentum sit inter partes de præstando casu fortuito, quia contractus ex conuentione legem accipiunt *l. 1. §. si conuenit. ff. de pos.* Secundò si commodatarius, interpellatus non restituat, rem commodatam, hoc casu
pro-

propter moram tenetur *Dec. in l. contractus 23. ff. de R. I.* Tertio si culpa com-
modatarij præcesserit, veluti si argenteum Scyphum commodauerim, &
is se amicos ad coenam inuitaturum dixerit, attamen peregrè secum porta-
uerit: absque omni dubio Latronum & naufragij casus illi præstandus, vel
si remiserit, per minus idoneam personam *l. 10. §. fin. ff. h. t.*

27. Examinata iam actione ex celebrato vnus gratia contractu tantum
descendente, rectè nunc pignoratitia actio subiicitur, cuius obligatio re
quoque contrahitur atque gratia vtriusque, tam debitoris, quò facilius ei
pecunia credatur, quàm creditoris, quò magis ei in tuto sit creditum: cum
melius sit pignori incumbere, quàm personam tantum obligatam habere,
Azo. in summa. C. h. t.

28. Pignus itaque à pugno nomen suum sortitum, quia res quæ pignori
dantur, vulgo manu traduntur, quod omnes passim *Dd.* propriè & verè sũ-
ptum pignus appellat *Bart. in l. iurigentium ff. de pact. num. 3.* in quo etiam
discernitur ab hypotheca, nam pignus est rei traditæ, hypotheca verò non
traditæ, quod etiam impropiè pignus dici posset, *Treutl. vol. 2. disp. 1. th. 1.*
hoc non incommodè pro subiecta materia in hunc modum definiri aut de-
scribi potest, videlicet quod sit res siue mobilis siue immobilis, quæ tradi-
tur creditori vel eidem permittitur, vt saluum ei sit suum creditum, *Salic. in
l. 9. §. propriè ff. h. t. Azo. in summa. C. h. t.*

29. Nunc videndum quæ res oppignorari non possint, quibus cognitis
atque perspectis facilè aduertendum quænam pignori obligentur, primò
itaque naturâ oppignorationem respuunt, res sacræ, sanctæ, religiosæ, nam
hæ extra nostrum commercium censentur. *l. 3. ff. quæ res pign. vel hypot. C. 6.*
Secundò liberi homines, vt Filius familias, *l. 6. C. quæ res pign.* quod tamen in
Filio familias limitandum, nam parens propter urgentem egestatem & ne-
cessitatem famis, victus gratia potest filium vendere eumque pignori obli-
gare, vt postea oblato vel æquè bono mancipio teneatur Creditor, filium
suum restituere pristinæ libertati, id tamen procedit tum, si parens ad pin-
guiorem fortunam peruenerit *Bald. in cap. ex rescripto de iure iur. Schneid. in
d. §. creditor. C. tit. de patriæ potestate n. 29.*

30. Qui tamen ab hostibus redimitur ab aliquo, istam diu loco pigno-
ris à Redemptore detinetur, donec pretium, quod pro eo hostibus redimè-
do solutum restituerit, *V. Ves. π ff. quæ res pign.*

31. Præterea & illæ res prohibentur obligari, videlicet Pupillares, attamen
interueniente iudicis decreto rectè obligantur *l. 1. ff. quæ res pign. C. 6.*
item res litigiosæ, nam hæ vt alienari, ita nec pignori obligari possunt *l. 8.
cum auth. sequent. C. quæ res pign.* Res denique prorsus aliena, in qua de-
bitor non habet aliquod ius, hæc quippe sine voluntate domini obligari
non potest, & si de facto fit nulla est obligatio. *V. Ves. paratit. ff. quæ res pign.*

32. Duplices autem eiusmodi pignoris contractum producere actiones
communiter receptum est: pignoratitiam nimirum directam, & contrariam
pigno-

pignoratitia enim directa competit debitori aduersus Creditorem, ad rependendum pignus traditum, & id quod sua interest, si ei satis factum non fuerit. *Zaf. in §. actionum. inst. de actionib.*

33. Satisfactum autem intelligimus quemadmodum voluit Creditor licet solutum non sit, siue enim alijs pignoribus voluit sibi cauere, vt ab hoc recedat, siue fideiussoribus siue pretio aliquo vel nuda conuentione, nascitur pignoratitia actio, & generaliter quoties Creditor recessit à pignore, vel vt voluit ipse sibi cavit, videtur satisfactum, licet in hoc sit deceptus sua facilitate, non dolo, *Bart. in l. 9. §. omnia. num. 1. ff. h. tit. Azo in sum. C. h. t.*

34. Non solum autem per veram huiusmodi solutionem Creditori factam, pignus resoluitur, sed etiam per actualem oblationem, in iudicio debiti, aut etiam extra iudicium, cum depositione & consignatione factam à debitore, perinde enim est ac si soluisset, cum stet per Creditorem quo minus soluatur. *Donell. in tract. de pign. cap. 14. Bald. c. 20. eod.*

35. Datur item hæc actio debitori, si Creditor compensari fructus perceptos, cum sorte petit & quod ei restat, soluat, nam si creditor tantum ex fructibus percepit quantum est debitum, pignus ipso iure liberatum est, nam fructus percepti ex pignore non creditoris lucro cedere debent, sed computari in sortem *Gail. 2. obser. 3. Schneid. in §. creditor. instit. quib. mod. re.*

36. Quamuis autem hæc actio regulariter intentari non possit nisi præcedat legitima solutio vel oblatio, attamen si debitor ante solutionem agens offerat in iudicio pecuniam, debet rem pignori obligatam, & id quod sua interest, consequi *Bart. Costal. & Sichard. in add. ad Bart. in l. si rem. §. qui ante ff. h. t.*

37. Sed ne aliquid damni ex mora debitoris contrahat creditor, delatum illi à legibus hoc beneficium est, vt fructus pignoris non durabiles distrahere sibi liceat, siue ab initio cum debitore conuenerit siue non (modo conuentio de non vendendo non obstet) quo casu trina denunciatione opus esse manifesti iuris est *Bald. in l. 1. in princ. q. C. h. t.*

38. Creditor autem cum pignus reddit de dolo debitori repromittere, debet, atque in eo statu in quo fuit tempore oppignorationis, restituere; veniunt autem in hanc actionem, dolus, lata & leuis culpa, casus verò fortuitus non item. *Bald. cap. 21. de pign. Azo in summ. C. h. t. n. 1. si verò absque culpa creditoris interierit pignus, ad restitutionem non est cogendus, neque tamen idcirco à petitione crediti submouebitur. Sichard. in l. 4. C. h. t. n. 1.*

39. Contraria pignoratitia Creditori datur, qui in conuentione pignoris deceptus, aut quid damni sumptusq; eius gratia fecit, *Sichard. in rub. C. h. t. n. 11.* in impensis autem necessarijs illud indifferenter procedere non ambigitur, in vtilibus ita demum, si constet de voluntate consensuque expresso vel tacito, ipsius creditoris, *Negusan. 3. memb. 7. part. n. 18.*

40. Præterea pignoratitia contraria conuenitur debitor ad interesse cum pignus, quod debitor conduxit, à Creditore restituere detrectauerit,

B

vel

vel falsa solutionis spe ostensa, pignus debitor recuperarit, vel inutile pignus aliquo scilicet vitio laborans dederit, *l. 16. § 1 ff. h. t.* vel res aliena data in pignus fuerit, si denique malitiosè in pignore versatus fuerit *l. 8. ff. h. t.* Ac in similibus casibus, in quibus æquitas suadet indemnem creditorem seruari *Azo. in summ. C. h. t. sub fin. V ves. paratit. h. t. n. 8.*

41. Videndum nunc est quibus actionibus & aduersus quos agere possint, cum Personæ quæ vel ab alienâ voluntate dependent, aut aliena fide interueniunt, & primò quidem exercitoria ob nauigantium commoda introducta *V Ves. paratit. h. t.*

42. Exercitoria dicta ab exercitore qui magistrum nauis præposuit *l. 1. § 6. ff. h. t.* dicitur autem exercitor ad quem quæstus nauis quotidianus peruenit, siue dominus is sit, siue à Domino, nauem per auersionem vel ad tempus vel in perpetuum conduxerit, *V Ves. π. hic.*

43. Parui autem refert siue masculus siue mulier sit, Paterfamilias an filiusfamilias vel seruus *V Ves. π. h. t. n. 4.* quod tamen in Pupillo aliter receptum, nam in illo si nauem exerceat exigitur tutoris auctoritas, *l. 6. §. 16. h. t.* nullum enim negotium rectè gerere sine tutoris auctoritate videtur, vide tamen distinctionem, *tot. tit. inst. de Aut. tut.*

44. Magistrum autem nauis eum accipere debemus, cui totius nauis Anchora, id est, gubernatio mandata est, *l. 1. §. 1. & 2. ff. h. t.* Cuius autem conditionis sit vtrum liber an seruus nihil interest, sibi enim exercitor imputabit, si minus idoneum nauarchum præfecerit, *l. 1. §. 4 ff. h. t.* nam qui damnum sua culpa sentit, damnum sentire non videtur. *C. damnum. 86. de R. I. in 6.*

45. Hæc actio datur contra exercitorem ex contractu magistri, in quantum ille si cum eo ciuilitè ageretur, conueniretur ac damnaretur, *l. 1. §. non autem. ff. h. t.* Non extenditur autem hæc actio ad delicta nautarum in nauis commissa, ratione enim illorum datur actio in duplum contra exercitorem, eò quod malorum hominum opera vtatur, ad quæ tamen delicta non tenebitur si fuerint extra nauem commissa, *Azo in summ. C. h. t.*

46. Duobus magistris simpliciter constitutis quisque officium in solidum habet, & de cuiusuis contractu exercitor tenetur, *Costal. in l. 1. §. si plures ff. h. t. num. 5.* Si vero ita constituatur vt sine vtriusque consensu nihil contrahatur, præponentis voluntati potius acquiescendum, & potest hac actione tam nauis magister, quam exercitor conueniri, non enim hoc edicto transfertur, sed adiicitur actio, *Olden. class. 4. n. 5. art. 4.*

47. Si magistro nauis quis mutuam dederit pecuniam quasi ad vsum nauis impensuro, exercitor tenebitur, nec necesse est actorem probare in rem domini versam, dummodo illi eo animo pecuniam dederit *Sichard. ad rubr. C. h. t. n. 12.* in ea tamen pecunia quæ minorenni, ecclesie, vel ciuitati data est, verius dicitur etiam probari oportere in rem ac vtilitatē versam esse. *Bart. & Costal. in l. 27. ff. si certum petatur. vide disp. 20. th. 9. & seqq.*

48. Datur tamen nobis electio vtrum exercitorem vel magistrum nauis conuenire velimus, nam vt exercitor prætoria, ita magister ex suo contractu directo tenetur. *Vvesenb. n. 5. ff. h. t.* si tamen ab altero exactum erit, cum altero agi minime poterit, cum sit actio persecutoria, vnaque solutione omnis actio euanescat, & tollatur, nã alius pro me soluendo me liberat *l. 1. §. pen. h. t. ib. Gothof. in not.*

49. Non solum hac actione nauigantium utilitati à Prætorè prouisum est, sed etiam Prætor terrestribus actionibus institoria actione subuenit, ad huius enim, vtpote antiquioris normam, illa regulatur vt & ante dicta, hic locum habeant aut saltem applicari possint. *Sichard. in rubr. C. h. t.*

50. Exercitoria actio à præponente: hæc scilicet institoria à præposito, quòd alienis instet negotijs, suum nomen sortita. *Gothof. in l. 2. h. t.*

51. Est autem institoria actio, qua dominus ab his qui cum illis contraxerunt, quos alicui Quæstui vniuersaliter præfecit, conuenitur; *Bart. in l. 29 ff. si cert. petat*, additum vniuersaliter, qui enim vni tantum rei præpositus est non propriè institor, sed latè & abusiue dicitur, rationeque sui contractus, non directa sed utilis institoria datur *Bald. in l. 15. num. 3. & 4. C. mand.*

52. Non tamen omne quod cum institore geritur, eum obligat qui præpòluit, sed ità, si eius gratia cui præpositus fuerat contractum fuit, *l. 5. §. ii. ff. h. t.* præpositionis enim conditio, quæ dat certam legem contrahentibus, seruanda est *l. 11. ff. h. t.* vnde si contractum de eo, de quo palam proscriptum est, ne contrahatur aut extra formam cui præpositus est scilicet si venditioni duntaxat præpositus esset, & ille mutuò quid acceperit, dominus ob hunc contractum minime conueniri potest, & habet exceptionem aduersus agentem *Vvesparat. ff. h. t.*

53. Sicuti in exercitoria actione electio datur, vtrum exercitorem vel Magistrum conuenire quis velit, vt dictum supra concl. 48. ita etiam & in hac actione, & dominum & institorem conueniri pro libitu posse placet, *arg. l. 7. §. interdum. ff. ad S. C. Maced.*

54. Institores, quos hodiè Factores appellamus, finito depositionis tempore de contractibus durante officio initis, rectè conueniuntur *Iason. in l. 29, n. 2. ff. si cert. pet. Costal. in l. 1. §. 15. ff. de exer. act. num. 4. & in l. 61. de procur. Dissent. Treutl. th. 7. hic.* qui distinguit si suo nomine sese quoque institores obligassent, tum quidem procedere alias secus.

55. Sequitur nunc actio tributoria, quæ de seruatorum contractibus prodita, dictaque quasi distributoria, à tribuendo seu distribuendo, qua nimirum petitur quicquid ex merce serui aut filij familias peculiari superest, vt id inter dominum vel Patrem & reliquos creditores pro rata portione distribuatur. *Vvesparat. ff. h. t.*

56. Antequam autem hæc actio locum habeat requiritur in negotiatione facta scientia domini, nam si ignorante vel prohibente Domino seruus contraxit, licet Dominus liberam peculiij administrationem eidem concesserit,

ierit, cessante hac actione, & de peculio domino competit qua sibi debitum in totum deducit, *Treuil. th. 8. hic* quod tamen privilegium domino adimitur, si eo sciente seruus contraxerit: nam hoc casu in tributum instar extraneæ personæ vocatur, *Schneid. in § 4. inst. quod cum eo qui in alien.*

57. In eo ab institoria actione differt, quod videlicet institoria detur ex negotiatione facta in re dominica §. *institoria inst. quod cum eo.* tributoria verò ex negotiatione rei peculiaris: peculium enim quod separatum è ratione domini aut patrisfamilias est dicitur. *Schneid. in d. § 4. inst.*

58. Sciendum quoque antequam tributoria detur, necesse esse negotiantem patriæ vel dominicæ potestati subiectum esse: verè vel præsumptivè, & idè ex contractu serui fructuarij vel bona fide possessi tributoria quoque actio datur *l. 1 §. 4. ff. de tribut. act.*

59. Datur autem creditoribus quibuscunque *l. 5. h. t.* Aduersus dominum eumque qui loco Domini est, vel plures scientes tantum: ignorantes enim hac actione minimè conueniuntur. vt dictum conclus. 56, item contra Pupillum, prodigum, & furiosum ac similes; ex scientia doloue tutoris vel curatoris, quemadmodum quisque dominus ex proprio, Item procuratoris dolo tenetur, *l. 5. ff. de trib. act.* quod tamen de generali ipsi sci'icet cui libera omnium bonorum administratio concessa, intelligendum, aliàs si talis non sit dolus eius minimè nocebit *Gothof. in not. ad l. 5.* Aduersus denique hæredem eatenus quatenus ex ea re locupletior factus *l. 7. §. vlt. ff. trib. act.*

60. Non tamen in hac actione totius peculij ratio habenda, sed eius solum quo negotiatus fuit, nam tribui actione tributoria iubetur, quod ex ea merce atque eo nomine receptum est, id est hoc solum venire in diuisionem quod in mercibus fuit, quibus negotiabatur *l. 5. §. 5. ff. d. t.*

61. Quæ de seruo dicta sunt, eadem quoque locum habent in filiofamil. vtitur enim Prætor verbo potestatis, quod ad omnes, qui alieno iuri subiecti sunt, porrigitur. *VVes. π. h. t.*

62. Hac quoque actione conuenitur, si dominus merces vel pecuniam distribuere nolit *Azo. in summ. C. h. t.* si autem Dominus planè diuisionem detrectet, non dolosè sed vt labores & molestias diuisionis euitet, arbitrum Prætor dabit, cuius interuentu merces peculiares tribuantur *l. 7. ff. h. t. nec* in hac mercium diuisione, vt supra, vllus Creditorum, neque ipse dominus, qui beneficium deductionis amisit, alteri, nisi cui iure pignoris obligatæ sūt præfertur *Schneid. in d. §. 4. inst.*

63. Si tamen vnus veniat desiderans tribui integram suam portionem, consequetur, si tantum in merce sit, sed quoniam fieri potest vt alij quoque mercis peculiaris creditores post emergant, idcirco cauere debet Creditor iste pro rata se refusurum, si alij postea compareant, non enim hæc actio, sicut de peculio, conditionem occupantis facit meliorem, sed æqualem omnium, quandocunque agentium, *l. 6. ff. h. t. Schneid. in §. 4. inst. quod cum eo.*

64. Concurrit autem cum hac actione, sæpè de peculio actio, quia vtraque

que rem persequitur debitam, itaque eligere alicui necessarium, vtrum de peculio vel hac actione agere velit, perinde enim est, nec sibi regressus ad aliam conceditur, *l. 5. ff. si cert. petat.* nam vna electa, non datur ad aliam regressus, nisi fuerit deceptus, vel in vna plus quam in altera sit, *Schneid. in §. 4. n. 8. inst. quod cum eo.* attamen si ex vna quis velit causa tributoria, altera verò de peculio agere, audiendus erit, *l. 9. §. 1. ff. h. t.*

65. Sequitur nunc actio de peculio, quæ ex contractu serui filijque familias, aduersus Dominum patremque datur, quanquam verò serui dominis omnia acquirant, nihilque proprii habere videantur, attamen ex liberalitate quandoque domini è bonis dominicis quid separati illis permittitur, quò negotientur, quod peculium appellatur, atque in hunc modum describi potest, quod paretur parsimonia liberalitate Domini vel alterius negotiatione non vero maleficio. *Trentl. hic th. 10. VVes. parat. h. t. Myns. in §. 4. ff. inst. quod cum eo.*

66. Peculium autem, & pecunia à pecoribus, in quibus omnis veterum substantia subsistebat, dicta sunt, differt autem pecunia à peculio quod i' la maius Patrimonium, hoc verò pusillum filijfamilias vel serui patrimonium significet, *Trentl. thes. 10. hic. VVes. 7. eod.*

67. Quod est quadruplex, profectitium, aduentitium, castrense aut quasi castrense, profectitium est, quòd ex re & substantia patris venit, cætera verò quæ aliunde veniunt & parantur & ex bonis itidem matris, ad peculium aduentitium pertinent, Castrense quòd occasione militiæ quis sibi acquirit *l. 4. l. 11. de Castr. pecul.* Quasi autem Castrense peculium est, quòd acquiritur ex quasi militia quadam, putà togata vel eius occasione & professione artium liberalium, earumque exercitio, in aduocatione *Aldens. in §. 2. inst. per quas pers. cuique acquir. & p. §. 1. Dd.*

68. Datur hæc actio omnibus Creditoribus *l. 27. §. 3. ff. de pecul.* qui cum filio seruoue contraxerunt, ex quolibet contractu *l. 3. §. 5. l. 7. §. 5. l. 27. 37. ff. h. t.* aduersus dominum bonaque fide possidentem, quòd si plures sint permittitur Creditoribus vel in partes cum singulis agere, vel cum vno in solidum *l. 27. §. 3. ff. h. t.* item aduersus patrem tam naturalem quam adoptiuum, dummodo tamen durante adoptione sit contractum *l. 4. ff. h. t.* Heredes verò pro portione hereditaria cuiuscunque, eatenus scilicet, quatenus peculium ad vnum peruenit *l. 30. §. 1. ff. h. t. Schneid. in §. 4. inst. quod cum eo.*

69. Differt autem hæc actio à tributoria actione, primò quòd in actione id spectetur, quòd est in merce peculiari, de peculio verò totum peculium consideratur, deinde actione de peculio id omne quòd debetur domino illisue, qui in eius sunt potestate, ac omnibus Creditoribus etiam priuilegiatis præfertur, in tributoria verò amisso huius deductionis beneficio, vt extranea persona dominus æqualiter suam partem recipit *Schneid. in §. 4. inst. quod cum eo, qui in.*

70. Hæc actio de peculio, quamdiu seruus vel filiusfamilias patriæ aut

dominicæ potestati subiectus est, tamdiu perpetuo durat, post mortem verò vel emancipationem, manumissionem, aut alienationem serui vel filijfam. annalis esse incipit. *Vvesenb. parat. h.t. Schneid. §. 4. inst. quod cum eo.*

71. Superioribus actionibus tractatum, quando vel mandato vel sine mandato: ignorante aut sciente domino, cuius potestati subiectus seruus vel filiusfamilias contraxit, nunc autem alia ex contractu filij aut serui aduersus dominum subijcitur, vocaturque quòd *Iussu Vves. π ff. h.t.*

72. Datur autem hæc, cum iussu domini seruus contrahit: siue dirigatur iussus ad contrahentem siue ad seruum, vtrum specialiter in vno tantum contractu, aut generaliter scilicet; quodcunque voles cum seruo meo gere, videor ad omnia iussisse, nisi lex certa aut pactum in contrarium obstet. non tamen præiudicat Domino, talis permissio generalis facta contrahenti cum seruo, si seruus ceperit esse fugitiuus, vel vi surreptus, aut dominus nesciat de eo vtrum viuat an sit mortuus, ac præterea in permissione confiderandum, quam diu durauerit, vt si ante tempus contractus à domino reuocata fuerit, contrahensque cum seruo super hoc certioratus, euanescit hæc actio *l. 1. §. 2. ff. h.t.* item per subsequentem domini voluntatem inducitur hæc actio, vt si ratum habuerit id quod eius seruus gesserit *l. 1. §. 8. vbi Gothofr. in not. hoc. tit.*

73. Hæc actio longè præstantior actione de peculio, nam in hac non inspicimus quantum sit in peculio; sed agitur in solidum. nam quodammodo videmur cum domino contrahere qui iussit *Treutl. th. 13. hic.* differt quoque iussus à mandato, quia iussus importat necessitatem, sicut & præceptum, vel imperium, at mandatum ex libera voluntate descendit, *Treutl. th. 13. hic.*

74. Actio quod iussu tum conceditur, quando cum seruo contractum aut filiofamilias fuit, nam si cum domino, videlicet si pater aut dominus mutuan accepturus pecuniam iusserit seruo filiove illam numerari. hic non ob hanc numerationem actione quod iussu sed ex credito conuenitur *l. vlt. ff. h.t. ibid Gothof. in not. in lit. c.*

75. Sequitur nunc actio de in rem verso, quæ datur ex contractu filijfam. aut serui aduersus dominum aut patrem, vt eatenus quatenus in rem eorum versum fuerit, agenti, quod ex illo gestu debetur, præstent *Vves parat. h.t. Schneid. in §. præterea. inst. quod cum eo.*

76. Sed antequam hæc actio locum habeat, distinguendum, an gestum fuerit negotium voluptuariè, an vtiliter aut necessariò, si voluptuariè putà quod mutua pecunia accepta domum dominicam exornauerit tectorijs & quibusdam alijs quæ ad voluptatem potius quàm vtilitatem pertinent, non tenetur dominus de in rem verso, ei qui cum seruo contraxit, eique talia vendidit, vel mutauit, sed debet pati creditorè talia imposita denuò subtrahere, sine damno ac detrimento domus, nisi forsan dominus ex post facto ratum habuerit *l. 3. §. 4. l. 5. §. 2. ff. h.t.* aut gessit vtiliter & necessariò, tenetur dominus de in rem verso quamuis ratum non habeat, vt si triticum accepit,
ad a-

ad alendam familiam domini vel se, aut etiam vt se vestiret, secundum ta-
men consuetudinem domini, id est ad eum modum quem dominus præstare
consueuerat *Schneid. in §. præterea inst. quod cum eo. Azo. in summ. C. quod
cum eo.*

77, Deficit autem hæc actio à principio, si tantum debeat domino ser-
uus, quantum vertit in rem eius, quòd si autem minus debeat, eatenus non
quatenus debet domino, nam quod excedit vertitur, idemque est, etsi domi-
ni creditor seruus factus postea fuerit, vel si dominus ei remunerandi non
donandi animo donauit *l. 10 §. 7. h. t. Azo. in summ. C. h. t. & in tantum hæc a-
ctio datur aduersus dominum, in quantum in rem ipsius versum etiam si mi-
nus in peculio sit l. 7. l. 10. §. 4. ff. h. t. §. præterea inst. quod cum eo. Schneid. in d. §.
præterea. Azo. in summ. C. h. t. V. Ves. parat. ff. bic.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




X 2874408

94 A 7386

VD 17







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PPINÆ,
rope Augustinianos.



os Facultatis Collegio
n proponit
en/ Westphalus,
Augusti.

e & Fisco.
SS. LL. Licentiaro,
no, I. V. Doctore, &

is Viris, ac DD.

VANTE,

ALIORVMQVE
CTIONIBVS.

DATI,
TITIA,

VBLICI,
SIMA QVARTA,

